

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Rector Academiæ Gryphiswaldensis Timotheus  
Lütkemann, S. S. Theol. D. Ejusque Professor Prim.  
Universit. Pro-Cancellarius, Eccles. Per Pomer. Et Rug.  
Superint.... Præses, Facult. Theol. H.T. Decanus, ...**

**Lütkemann, Timotheus**

**Gryphiswaldiæ, [MDCCXXXVI?]**

**VD18 13129716**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16518**

27

RECTOR  
ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS  
**TIMO THEUS LÜTKE-  
MANN,**

S. S. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESSOR  
PRIM. UNIVERSIT. PRO-CANCELLARIUS, EC-  
CLES. PER POMER. ET RUG. SUPERINT.  
GEN. REGII CONSIST. PRÆSES, FACULT.  
THEOL. H. T. DECANUS,


AD

**SACRA CHRISTI  
SERVATORIS NA-  
TALITIA**

A  
**JACOBO MORIBUNDO  
PRÆDICTA,**


PIA, DEBITAQUE MENTE CONCELEBRANDA  
**CIVES ACADEMICOS**

PERAMANTER, AC PATERNE INVITAT.



GRYPHISWALDIÆ,  
EX OFFICINA CAROLI HOEFFNERI,  
REG. ACAD. TYPOGR.







ÆC NOSTRA FFSTIVITAS EST, CIVES!  
HANC ALACRES totis animis concelebre-  
mus, Dei nimirum ad homines accessum,  
ut ad Deum proficiscamur, seu reverta-  
mur potius, abjectoque veteri homine,  
novum induamus, & quemadmodum in  
primo Adamo mortui sumus omnes, ita in altero ad  
immortalitatem revocati vivamus, cum Christo una  
nascentes, una cruci affixi, una sepulti, una resurgen-  
tes. (a) Hodie enim denuò nos confirmat, qui exterriti  
tos Bethlehemitarum Pastores confirmavit dudum, di-  
vinus genius: *Ne timete, inquiens, en ego vobis ingentem  
nuntio letitiam, toti populo futuram, videlicet natum vobis esse  
servatorem, qui est Christus Dominus, in oppido Davi-  
dis.* (b) Quem ut illis tum in præsepi, lacerisque fasci-

)( 2 ) is,

---

(a) Verba sunt GREGOR. Theol. in Orat. 38. in Nativit:  
Christi. (b) Luc: II. II.



is, à BARLÆO & BOECLERO illustratis, monstravit inventum iri, ita nos in præsentia nasciturum quæremus in fasciculo Monumentorum Mosis & Vatum Divinoafflatorum Spiritu. Exsurgat itaque nobis ex Hebræorum ultima antiquitate, & signum temporis Messiæ adventui à Deo Sapientissimo destinati ostendat JACOBUS, conditor ille duodecim Tribuum Israëlitarum ac Parens ostendet SCEPTRUM JUDÆ AUFFERENDUM. (c) Verba Principis Patrum cum vix quisquam exactius ad mentem ipsius videatur Romano stylo expressisse GOTHOFREDO VALANDO, (d) ea ex ipsius translatione hoc adscribemus: *Non abscedet Imperium à Iuda, & Prætor è medio Civium ejus, donec venerit Conditor Pacis*, & ejus imperium universale. Quæ ut est nobilissima vaticinationum Genesi Mosis, illa mundi Janua, Ecclesiæ fonte, & scatrigine totius Scripturæ (e) comprehensarum una; ita in toto Codice Sacro nulla omnino habetur, cuius singulas partes adeò sollicitent Judæi, (f) quorum patrocinium miremini etiam his suscipere ausum JOHANNEM CLERICUM, (g) nullum esse hujus Oraculi adversus Judæos usum pertendentem, cum Sceptrum Judæ non admendum enunciet, *donec veniat ejus finis*. Sed cum ab unde huic Viri in orbe Christiano celeberrimi, in primis SEBASTIANUS EDZARDUS, Esdræ filius, satisfecerit, (h) tum ex ipsis Hebræorum Doctoribus ABRABANEL (i)

---

(c) Gen. XLIX. 10. conf. Deut. XXXII. 7. (d) In Medi-  
tat: de Prætore è medio civium Judaic. &c. Franckof.  
ad Viadr. 1686. (e) Vid: MICHAEL WALTHERVS  
Offic. Bibl. p. 478. (f) FRISCHM: Prodrom: Dis:  
Jud: de Vatic: Jac: §. 23. (g) Comment: in Penta-  
teuch: (h) In Dissert: contra eum 1697. edita.



(i) neminem sanæ mentis dubitare posse scribit, quod in illo moribundus senex de Messia agat, nec ullum patere effugium , quo minus ista interpretatio admittatur. Quem si respuere tamen volent, & commissi erroris accusare, audire certè necessum habebunt Translatorem Hierosolymitanum ONKELOSIMUM & JONATHANEM , si hos antiquitus rectè æquipararunt Scriptoribus Divinis, tum quod doctrinam suam à vatibus Zacharia, Haggæo , & Malachia dicerentur accepisse, tum quia tot ac tanta miracula essent facta , parturientibus Paraphraстis fœtum suum Chaldaicum : (k ) isti autem unanimi consensu omnes SCHILOH exponunt per Messiam. Cum primis autem hōc loco notandum , quod JACOBUS paulò ante , quam istam vaticinationem edissereret, annunciatum se dixerit Filiis suis, quæ ipsis eventura essent בחרית חיטוי (l) qui ubique nominantur, intelligi dies Messiae , observat Hebræorum Priscianus, DAVID KIMCHIUS, (m) aliisque præter eum magnò consensi plures. Id autem patebit adhuc multò liquidius, si modò inten-  
tiori cura pensata fuerint singula verba, quibus admirandâ brevitate proponitur *Signum*, *Tribus*, *Locus*, *Tem-  
pus*, & *Personæ* venturi Messiae , (n) hicque ut *Pacifator*  
*Prætori*, ejusque generale Imperium, singulari Reipub-  
licæ Judæorum opponitur. Occupavit hanc operam  
multis abhinc annis, præter innumeros alias HENRICUS  
REINBOTH Jenæ, item GOTHOFREDUS VALANDUS Fran-  
ckofurti ad Viadrum , & JOBUS LUDOLFFUS, quem per-

) 3

stringit

(i) Comment: ad Gen: XLIX v. 1. (k) LEUSD: Phil:  
Hebr: Disput: XVI. p. 156. (l) v. 1. (m) Comment.  
ad Jes: II, 1. (n) WALTH. Exerc: Bibl: p. 52. seqq.



stringit WAGENSEILIUS, diffusius MICHAEL WALTHERUS,  
(o) diffusissime omnium peritissimus Hebreæ literatu-  
ræ, JACOBUS ALTINGIUS, libris quinque. (p) Fixum au-  
tem hic esse primum debet, & fundamenti loco statui,  
quod nominatim ad Tribum Judæ Vaticinationem istam  
suam referat JACOBUS, hæcque adeò singulariter, non a-  
lia, nec terra Judaica destinetur tali regimini, quod du-  
raturum adhuc sit, cum venerit SCHILOH. Hujus sen-  
tentiæ inter Christianos antiquissimus ferme Author  
est Origines, cui adstipulantur AUGUSTINUS, HIERONY-  
MUS, THEODORETUS, ISIDORVS HISPALENSIS, BEDA, &  
recentiores plerique; è Pontificiis GALATINUS, LYRA,  
BARONIUS, & ex parte CORNELIUS à LAPIDE; è Refor-  
matiis PELICANUS, PAREUS; è nostratis plurimi, ipse  
LUTHERUS, CHYTRÆUS, GESNERUS, RUNGUS, HUTTE-  
RVS, CRAMERVVS, HELVICVS, JACOBUS MARTINI, WAL-  
THERVS, & quis recenseat omnes? Hallucinantur ta-  
men in eo multi communiter, quando Sceptrum restrin-  
gunt ad significatum Regni, quod Judæ perpetuum pro-  
mitti, ad Messiæ adventum serie continuata, aut non  
nisi ad tempus interrupta permansurum, arbitrantur.  
Iis si HASMONÆOS objiciamus, à literis מְכָנֵב vexillo mi-  
litari adversus ANTIOCHVM EPIPHANEM inscriptis, (q)  
etiam MACCABÆOS dictos, respondebunt cum Judæis,  
LYRA, TOSTATO, CARTHUSIANO, eos paternam quidem  
originem à Tribu Levi, maternam tamen à Juda tra-  
xisse, ex eaque duxisse Uxores. Sed ex Christi constat  
Genealogia, in distinguendis Tribibus ad Genus pater-  
num,

---

(o) In Exercit: Bibl: (p) de SCHILO 1660. Ultraj: (q) Qui-  
bus vel ad Exod. XV. 3. respexerunt, vel hoc exprime-  
re voluerunt: *Quis sicut DEVS in Israël?*



num respexisse olim, non ad maternum, & innotuita  
vulgata juris Judaici Regula: *Familia Matris non vocatur*  
*Familia.* Tum vice versa GENEBRARDVS ET BARONIVS  
regerunt: Alii ad Judæ Tribum pertinere ajunt, quod  
in ea habitarint, apud TORNIELLVM. (r) Verum hæc o-  
mnia estugia præclusit egregie, illosque de Tribu Le-  
vi fuisse, probatum fatis dedit WALTHERVS sæpè laudatus,  
(s) nam sanè Pater ipsorum MATHATIAS Sacerdos fuit  
ex familia, & vice Joarimi, seu Joaribi (t) uno postero-  
rum Aaronis. (u) Quodsi concédere hoc fuerint coacti,  
instabunt porrò, Jus Regni tamen, & potestatem reti-  
nuisse Judam, secundum eamque Maccabæos propter  
fortitudinem & ardorem pro populo Domini vindican-  
do, Duces sibi præfecisse. In exemplum advocarunt  
Polonos, qui non censentur Sceptro carere, etiamsi re-  
get exterus; at ratio longè diversa. Duces erant Mac-  
cabæi, non Reges, non Cæsares, ARISTOBVLVS primus re-  
sumsit Regis titulum; eligebantur non à sola Tribu Ju-  
dæ, sed à toto populo Judaico. Et si ab illa etiam sola,  
non tamen id responderet menti ac sententiæ JACOBI,  
qui non iri ablatum Judæ Sceptrum prædicens, ipsam  
Tribum officio implicat hanc obscure, ipsam innuit Scep-  
trum gesturam. Fausta enim ac prospera ei denunci-  
at, ut ex collatione eorum patet, quæ antecedunt, &  
consequuntur; At verò quæ felicitas, regnari ab alio?  
Neque aliquid eidem tribuit, quod ipsi commune futu-  
rum erat cum Benjaminitica, & Levitica Tribu. Po-  
tuit interea Judaica Tribus habere omnino Sceptrum;  
cum nullum haberet Regem, nec מֶלֶךְ tam augustis  
circum-

---

(r) In Annal: ad a.m. 4018. n. 6. (s) p. 142. (t) I. Macc; II. 1.

(u) I. Paral: XXV. 7.



circumscribendum limitibus, ut solam Regiam dignitatem ambitu suo comprehendat. Esse Sacri Codicis voces tantâ nonnunquam amplitudine accipiendas, quantâ possunt, Regula est Interpretum, & sanè hanc nostram latius multò patere, ac universè quodvis imperium, quamvis potestatem atque Jurisdictionem significare passim, (x) Hebræorum Doctores diffiteri nequeunt. Josepho (y) teste, Archelaus non Rex, sed Ethnarchia tantum ab Augusto fuit constitutus, nec tamen Matthæus (z) vocabulum βασιλευσιν de eo adhibere dubitat, quod potestatem Regiæ similem exercebat. Jam de complemento vaticinationis, in Historia temporum Patriarchæ mortem insecutorum, quædam monenda occurunt, prius verò Stirps Jacobi non sine insigni sapientiæ divinæ documento quadringentos circiter annos durissimo Jugo Ægyptiaco erat subjecta, ut in justum cresceret populum, quām Judæ ἀρχιπόλις ἀρταπολις, sicut ab Eusebio Cæsariensi appellatur, (a) conspicuum fieri posset. Ubi autem ex ipsis Catastis duce Mose egrediuntur, terram sibi assignatam occupaturi Cananæam, Juda primus in castris ponendis vexillum figit, (b) primus signa movet, præeunte nube ignita, (c) primus non ductis sortibus suæ portionis cernit hæreditatem (d) auspice Josua. Quò mortuo ipso Dei ore palam Dux belli declaratur, (e) primumque genti suæ Judicem dat Othoniem. Reliqui etsi ex aliis fuerint Tribubus, præter Abesanum, quem Hebræi putant esse Boasum, Ruthæ Mari-

---

(x) 2. Sam: VII. 7. coll: i. Paral: XVII. 6. Jes: XIV. 4.

(y) Antiqv: Jud: Libr: XVII. 13. (z) C. II. 21.

(a) Demonstrat: Libr: VIII. (b) Num. II. 3. (c) Num. X. 14. (d) Jos: XIV. (e) Jud: XX. 18.



Maritum, tamen non nisi extraordinariè Israëlitis sunt  
præfecti, nec præfuerunt annis adeò multis, nec sine  
interrupto illam dignitatis præstantiam in stirpem pro-  
pagavere suam. Interim perpetua ista, & generalis  
honoris prærogativa penes Iudam mansit, ut hic prin-  
ceps esset ac Dux totius populi, donec universum regi-  
men ad eum devolveretur in Davide, qui annis regna-  
vit solus quadraginta, Sceptrumque transmisit ad poste-  
ros per aliquot annorum centurias. Ab eo enim si  
computemus, cum Matthæo (f) unâ numerabimus serie  
Reges primum omnium Tribuum, dein à Roboamo  
Iudæ & Benjaminis, usque ad Iosia tertium Filium,  
Patruum Iojachimi, Zedechiam, qui, occupatâ à Ne-  
bucadnezare Hierosolyma, excoecatus Babylonem du-  
cebatur. Neque tamen nobis quidquam obstat luctu-  
osissima hæc Captivitas Babylonica, quò minus Iudæ  
asserere Sceptrum liceat, & vindicare ulterius. Iojachi-  
mo enim, in carcerem conjecto, successit Zedechias, qui  
Rem Iudæorum publicam, per undecim annos regiâ  
dignitate administravit, nec ille etiam perpetuò tristia  
egit tempora, septimô & trigesimo post ereptum Impe-  
rium anno Regiæ dignitati ab Evilmerodacho ita resti-  
tuitur, ut principem inter omnes, qui Babylone erant,  
Reges locum obtineret. (g) Et quid de ipso Daniele  
Sanguine Regum Iudæ prosemnato (h) dicemus, qui  
tempore Iojachimi, seu Eliakimi Babylonem fuit dedu-  
ctus? Certe *MEGALANDER LVTHERVS* (i) non procul habu-  
it existimandi causas, regium nomen Dario, munus ac  
officium Danieli deberi, hunc si non verba titulique  
)( )( magni-

---

(f) C. I. 6. seqq. (g) 2. Reg. XXV, 27 seqq. (h) Dan; I. 6

(i) Præfat: in Dan:



magnifici, sed argumenta rerum ac documenta spectentur, omnibus Abrahami posteris, hunc ipsi Iosepho, Davidi, Salomonis imperii amplitudine præcelluisse; dupli- ci nominē quasi Cæsarem, quippe Principem Chaldæorum & Persarum. Quomodo autem solutā captivitate Babylonica & successu temporis hoc *Jude Sceptrum*, quō de moribundus Patriarcha tam egregie prædixit, à familia Davidis Salomonæa ad Nathaniticam translatum, quamdiu vis illius Sceptri conservata, ex justissimo tandem Iudicio imminuta paulatim, & denique ablata prorsus ac ademta, id uberior ampliusque prosequi, pagellarum interdicunt angustiæ, unum tamen adhuc supereft quod silentio non prætermittendum esse censemus. Annus tandem incidebat Iudaicæ genti maximè fatalis, septuagesimus Dionysianus, quō Urbs Hierosolymitana à T. Flav. *Vespasiano* expugnata, temploque exusto eodem ipso mense & die, quo Salomoneum Iussu Nebucadnezaris fuerat incensum, illa & Imperium & Rempublicam amisit. Quis jam non videt, præterisse tum omnino τὸ πλῆρωμα τὸ χεόντος, (k) & circumspiciendum fuisse oriundum ex Iuda Schilo, omnibus Iudæ & Ducibus & Iudicibus & Regibus & Magnatibus præstantiorem? Hic enim Tribum, ex tenebris revocatam, illustraturus sua Divinitate, facturusque erat verè φυλὴν βασιλικὴν ut est apud Eusebium, eoque accessurus prius, quam Sceptrum penitus afferretur. Viderunt ipsi Iudæi, & cursitantes in Templo clamarunt: Væ nobis! Sceptrum Iudæ ablatum est, necdum Messias advenit, filius ille Davidis. (l) Ad vos itaque Cives optimi! quotquot in Alma nostra Gryphica Literis, bo- næque

---

(k) Gal: IV. 4, (l) Testimon: Talmud in Sanhedr:



næque menti operamini, mea sese nunc meritò vertit  
Oratio. Publico vos hortor, imo rogo, obsecro nomi-  
ne, advertite animum oculosque ad illum, quem *Jaco-*  
*bis* morti vicinus tot retrò seculis Spiritu prævidit, cum-  
que advenisse sciatis Mundi sospitatem præfinitò tem-  
pore, fide amplectimini hunc natum, Sceptroque ejus  
rectissimo (m) vos submittite, ne si indignetur, vestras  
res perdatis, cum exarserit vel minimum ipsius ira.  
Colite Eum his præcipue diebus, Nativitati ipsius anti-  
quitus destinatis, semperque colite cum reverentia,  
& exultate cum tremore. (n) Nam infinitâ pollet Ma-  
jestate, & vocatur Filius Supremi, eique Dominus De-  
us thronum dedit Davidis, Patris ipsius, ut Jacobæorum  
domui regnaret æternum, regnique ipsius non effet  
unquam finis. (o) Illuxit nobis denuò Domini Domi-  
norum, Regumque hujus Natalis, Princeps Pacis ho-  
diè natus est, (p) qui sanguine suo pretiosissimo miseros  
nos Patri cœlestireconciliavit, ereptosque è Diabolifau-  
cibus in libertatem, quam per nostra perdidimus sceler-  
a, vindicavit. Paucis: adeò dies lætitiæ, dies gratiæ, di-  
es salutis, dies quem non tantum Sol conditus, sed ip-  
se Solis Conditor, Gratiæ, Salutisque author, Sol justi-  
tiæ, læto Salutiferoque suo irradiat ortu. Agite ergo,  
ô Mei! celebrate festum hunc Salvatoris vestri Glori-  
osissimi diem non panegyrico mundano, non choreas  
ducendo, non compita viarum exornando, non oculos  
auresque pascendo, non mollibus vestimentis inceden-  
do, non comissionibus aut crapulis, quibus libido ex-  
citatur, indulgendo. (q) Celebrentur sic Principum hu-  
)( ) ( z jus.

---

(m) Ps: XLV. 7. (n) Ps: II. 7. (o) Luc. I. 33. (p) Jes. IX. 6  
(q) Luc. XXI. 34.



jus mundi natales; at vos Christiani in spem Ecclesiæ,  
Reique publicæ nati, hujus mundi hospites, & Cœlestis Ci-  
vitatis Cives estis, quibus nihil cum gaudiis hujus Se-  
culi commune esse debet. Perpendite, quæso, diem  
esse Luminarium, qui corda postulat illuminata, & pec-  
catorum tenebras nebulasque dissipatas requirit; quid  
enim luci cum tenebris commercii? Quare indulgeant  
alii genio, litent Baccho Venerique, studeant saluberri-  
mō hoc tempore Saturnalia illa revocare ex Orco, vos  
sitis sobrii, jejuni castique, ut omnes intelligent, vestros  
animos non terrenā cum filiis mundi, sed cœlesti cum  
Cœlitum cohorte lætitia repletos esse.

P. P.

GRYPHISWALDIÆ,  
*IPSIS SOLENNIBUS CHRISTI NATALITIIS*  
ANNO O. R. MDCC XXXVI.  
SUB SIGILLO ACADEMIÆ.

